

Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli
ad Ephésios

2, 13-18

Fratres:

- ¹³ **N**unc in Christo Iesu
vos, qui aliquándo erátis longe,
facti estis prope in ságuine Christi.
- ¹⁴ Ipse est enim pax nostra,
qui fecit útraque unum
et médium paríetem macériae solvit,
inimicítiam, in carne sua,
- ¹⁵ legem mandatórum in decretis evácuans,
ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem,
fáciens pacem,
- ¹⁶ et reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem,
interficiens inimicítiam in semetípso.
- ¹⁷ Et véniens evangelizávit pacem
vobis, qui longe fuístis,
et pacem his, qui prope;
- ¹⁸ quóniam per ipsum habémus accéssum ambo
in uno Spírítu ad Patrem.

Verbum Dómini.